





1714,8  
W.  
9

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE DORMIENTE**

QVAM

DIVINO FAVENTE NUMINE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIÆ ETC.

DITIONUM ISENACENSIVM HEREDE

*EX DECRETO INCLITÆ FACULTATIS JURIDICÆ*

IN ALMA SALANA

PRÆSIDE

**DN. IO. BERNH. Griesen / JCto,**

HEREDITARIO in Posen/

SERENISSIMI DUCIS SAXO - ISENACENSIS CONSILIARIO  
AULICO AC CONSISTORIALI, PROFESSORE PANDECTARUM  
NEC NON CURIAE PROVINCIALIS SCABINATUS ET COL-  
LEGII JURIDICI ADSESSORE

*PATRONO SUO FILIALI CULTU ÆTATEM DEVENERANDO  
PRO GRADU DOCTORALI*

ET PRIVILEGIIS RITU MAJORUM CONSEQUENDIS  
PUBLICÉ ERUDITORUM DISQUISITIONI

*IN AUDITORIO JCOTORUM*

d. Febr. 1714.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS SUBJICIET

**ANTON. MATTHIAS GEORG. FALCKEN,**  
TANGERMUNDÆ PALEO MARCH.

PERILLUSTRIS SUPERIORIS VETERIS MARCHIÆ JUDICII QVOD QUADRIMI-  
STRE VOCATUR ET PRÆFECTURÆ JERICHOVIENSIS ADVOCATUS

---

JENÆ, STANNO VVERATHERIANO.



Dissertatio de Historia  
LITERARUM HISTORIE

DE MUSICO TATIANO V. BERNINI  
PRO FESTA MARIAE MAGDALENAE  
SIBERIENSIS ET CAVENDISH  
DOMINIO  
CATHARINA DE L'ANGE  
DUO SAXONIENSIS  
DIDICIT ET PRAESENTAT  
EX LIBRIS ALEXANDRIUS  
IN AIAZIA

DISERTATIO DE HISTORIE

DE MUSICO TATIANO V. BERNINI  
PRO FESTA MARIAE MAGDALENAE  
SIBERIENSIS ET CAVENDISH  
DOMINIO  
CATHARINA DE L'ANGE  
DUO SAXONIENSIS  
DIDICIT ET PRAESENTAT  
EX LIBRIS ALEXANDRIUS  
IN AIAZIA

ALTONA, MUSIKALISCHE STUCKER

ALTONA, MUSIKALISCHE STUCKER

ALTONA, MUSIKALISCHE STUCKER



## THES. I.



Via vocabula sunt rerum metrisque symbola & notæ arg.  
l. 7. §. 2. v. Id Tubero ff. de suppelli. leg. l. 219. ff. de Verb.  
Sign. l. 69. de leg. 3. ut nimirum ad quod instituta, & audiētibus & legentibus insinuant, ne illis ignoratis, etiam res ipsas similitudine decepti ignoremus. Confusione hanc evitare studentes, auspiciū ad exemplū jureconsultorum ab explicatione vocabulorum & terminorum faciendum ducunt. l. s. ff. de reb. cred. Sed cum præposterus sit ordo, prius humana petere subsidia, & illis deficientibus divini favoris gratiam demum postulare c. omnis 69. de consecr. dist. 1. idcirco in nomine Iesu Christi Dei. l. 5. pr. §. 2. & l. 6. §. 1. & seqq. Cod. de Summ. Trinit. Veri d. l. 6. pr. & omnipotentis l. 1. in pr. C. de offic. pref. Afr. Salvatoris nostri l. 3. in pr. C. de Summ. Trinit. institutum hoc auspicor.

A 2

THES.

## THES. II.

Cum vero vocabuli *juris* Homonymia, Paronymia, & Synonymia satis constet, & apud Doctores in tit. ff. de *jus*. & *jur.* sufficienter modo reperiatur, operæ pretium esse non duco, actum agere. Sicuti nec vocis *dormientis* magna est difficultas, nam proprie id animantibus & præprimis hominibus, ut dormire in cubiculis l. 33. pr. ff. de *leg.* 3. dormienti aliquid in manu ponere. l. 1. §. 3. ff. de *acqu.* vel *amitt.* poss. item per dormientes possessionem retineri & usucaptionem procedere. l. 31. §. 3. ff. de *usurp.* & *usucap.* per translationem vero juri tribuitur. Ut ut vero juris textum in quo hoc legatur non invenerim, & utrum in corpore juris reperiatur mihi huc usque sit incognitum: attamen hoc nec fieri debere, nec usu juris hoc obtainere, inficias ire non dubito. Etenim si juri conveniat dicere, item vivere l. 21. in fin. Cod. de fid. instrum. vivere actiones pr. Inst. de perp. & temp. act. l. 3. vers. que ergo C. de presér. 30. vel 40. ann. l. 1. §. 1. C. de ann. except. l. 3. C. de temporib. & repar. appell. Et econtrario res tam animales, ut arbores vites l. 4. §. 1. ff. de censib. quam quæ anima carent corporales & incorporales, ut lis l. 2. ff. jud. solv. peculium. l. 40. ff. de pecul. mori dicantur. Jus quoque dormire dici potest, minus enim est rem, que illa demum sit, dormire, quam eam vivere vel mori; Et cum prata cum hominibus ridere dicantur, quidni & jus ut homines dormire. Sane cum res plures sint quam nomina l. 4. ff. de praef. verb. rerum variarum necessitas, ut improppie loquamur, efflagitat. Ab hoc loquendi

di genere nihilominus abstinuisse, nisi apud interpres  
tes hunc loquendi usum reperisse. Sic præscriptio-  
nem dormire apud Calv. *sub hoc vocab.* & jus dor-  
mire apud Briss. legi: qua de causa eosdem cum imiter  
nihil me delinquere arbitror.

## THESS. III.

Jus dormiens est nihil aliud quam quod ob certum  
aliquid impedimentum vires suas exerere nequit: vel  
cujus operationes ob certum aliquid obstaculum cessant.  
Particula *quod* in definitione ad definitum non est referen-  
dum, ne hoc contra bonæ definitionis regulas ingredia-  
tur definitionem, sed ad genus quod subtiliter, scilicet  
*Jus*, quod sub se non definitum duntaxat, verum omnia  
reliqua jura quæ præter dormiens, existunt & exerceri  
possunt certosque suos effectus operantur, complectitur.  
Reliqua verba differentiæ locum tenent; dicitur vero ob  
*impedimentum* sive illud sit facti, ut si civili bello ca-  
ptus in servitute detineatur, sive juris, cum dominus ti-  
gnum alienis ædibus junctum, ob legem XII. Tabularum,  
neque vindicare neque de eo ad exhibendum agere pot-  
est. §. 29. *Inst. de rer. div.* Porro mentio *virium* &  
*operationum* facta est. Nam & jura ad causarum gene-  
ra referuntur recte, cum & illa sint principium positive  
& per se, influens esse contingens in rem: ut solet causa  
describi. Jus enim *personarum* actionem ptajudicia-  
lem per §. 13. *Inst. de Act.* jus vero *in re realem*, & jus  
*ad rem personalem* actionem efficere per §. 2. *Inst. de*  
*Act.* vulgo traditur. Dum vero additur quod jus dor-  
miens *operationes* exercere nequeat, ostenditur non i-

psum jus, sive ut ajunt, actum primum expirasse, sed juri  
sive istius actus primi exercitium, vel ut loquuntur, a-  
ctum secundum cessare, æque ut in dormiente somnus,  
non sensus ipsos adimit, sed eorum operationes tantum  
impedit. Quemadmodum vero animal excusso demum  
somno, rursus operatur, non secus impedimento remo-  
to jura vires suas exercent,

## THEA. IV.

De serie tractandi hanc materiam parum sum sol-  
licitus, si ordinem JCTi in l. 1. ff. de stat. hom. quem, qui  
jura compilaverunt, vere approbarunt, & ipse Imperator in  
§. ult. Inst. de jur. nat. gent. & civ. retulit & suum fecit arg.  
§. 6. præm. Inst. sequar, non erravero. Et prius quidem de  
jure personarum agendum, quod cum ex statu hominum  
oriatur. Hahn. ad Wel. tit. de stat. hom. n. 1. qui triplex li-  
bertatis, ciuitatis & familiae l. ult. ff. de cap. min. Prius  
quoque de dormiente jure, quod ex statu libertatis pro-  
manat, agendum erit. argt. pr. Inst. de cap. dimin.

## THES. V.

Sic in ingenuo, qui statim ut natus liber est, idque  
ratione ventris, cuius libertas partui prodest tribus tem-  
poribus, scilicet conceptionis, nativitatis & medio tem-  
pore pr. Inst. de Ingen. quo modo libera prægnans li-  
herum gerit & deportata civem Romanum, quiescit  
ingenuitas & libertas, si ingenuus in servitute est, hoc est,  
qui cum servus non est, pro servo habetur, exemplum re-  
fert Vin. ad §. 1. Inst. de ingen. Tyrannica itidem factione  
captus, si ut captivus distrahitur, l. 4. C. de Ingen. man.  
vel

vel bello civili captus & venundatus *I. 21. §. 1. ff. de capt.*  
*& post lim. rever.* vel ab hostibus captus postliminio re-  
 versus est. *I. 9. C. de ingen. man.* quia postliminium fin-  
 git eum, qui captus fuit, semper in civitate fuisse *§. 5.*  
*Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv.* aliud exemplum re-  
 fert *Theopb. tit. de ingen.* Ratio vero hujus est, quod  
 veritas originis quæ juris erat, errore qui facti est, non  
 amittitur aut vitiatur: nec injusta possessio, quando  
 manumissus repetit ingenuitatem ei præjudicat. *I. 6. pr.*  
*ff. ad munic.* *I. 6. §. 1. ff. de offic. presid.* & in jure plus  
 valet, quod est in rei veritate, quam quod est in opinio-  
 ne. *§. 11. Inst. de legat.* nec justa ignorantia cuiquam de-  
 bet esse damnosa *I. 8. ff. de jur.* *& fact. ignor.* Prater-  
 quam quod nemo vere dici poterat manumissus, qui non  
 fuerat vere servus sed tantum in servitute, quæ phrasis li-  
 cet nonnunquam designet jus, ut in *pr. Inst. de libert.*  
 hic tamen non nisi factum denotat. Sicut aliud est pos-  
 sidere, aliud in possessione esse *§. 5. de interd.* ita aliud  
 est servum esse & aliud in servitute esse.

## THES. VI.

Quod vero illis casibus dormiat ingenuitas inde  
 patet, quod necessaria sit ingenuitatis probatio, nam qui  
 eam probare nequit, in libertinitate manet, licet se in-  
 genuum esse contendat, nimirum cum ex possessione  
 libertinitatis asserit se in ingenuitatem. *I. 13. Cod. de in-*  
*gen. man.* Perez. *ibid. n. 4.* Possessio enim libertini-  
 tatis omnes ingenuitatis effectus & operationes impedit.  
 Porro quies ingenuitatis inde etiam elucescit, quod, solen-  
 niter ingenuitate probata, probabit vero quis suam & libe-  
 torum suorum ingenuitatem natalibus, nimirum quod in-  
 genui

genui sint nati,) ingenuus manumissus omnia quæ a manumissore consecutus est, restituere debeat, & quæ nondum est consecutus, ut legata, in domo manumissoris relinquere. *l. 1. C. de ingen. man.* quod non fieret si ingenuitas vel amissa, quia tunc nihil restitueret, vel non dormivisset, nam si de ingenuitate constitisset, nec manumissus fuisset, neque ei aliquid legatum fuisset. Sicque hi quidem ut semper fuerunt liberi, ita semper liberi sunt & manent, adeo ut ne ex manumissione quidem ipsis nova accedat qualitas. *Vultej. ad §. 1. Inst. de Ingen.* Dormiebat vero hoc jus & manumissio non obstat ingenuitati, si alias manumissus intra quinquennium ad ingenuitatem proclamasset. *l. 2. ff. si libert. ing. eff. dic.* elapsò vero quinquennio ipsum principem adire debebat *d. l. 2.* Hodie vero post quinquennium proclamare licet, idque sine temporis præscriptione ingenuitatis favore. *l. 6. Cod. ubi caus. stat. agi debeat.* Ne ratius porro libro Membranarum refert Paridem Pantinum a Domitia Neronis filia, decem, quæ ei pro libertate dederat, repetuisse per judicem. *l. 3. §. 5. ff. de condit. caus. dat. caus. non sec.* Hic libertatem quievisse inde constat, quod Paris dederit decem ut manumitteretur, quod non fuisset factum, si se liberum credidisset. Eum tamen servum non fuisse patet, alias pecuniam datum repetere haud ponisset. Neque sequendus Ægid. Hortens. qui *ad §. 1. Inst. de Ingen.* qui omnem post Nov. 78. ingenuitatis & libertinitatis differentiam esse sublatam, nec officere alicui post manumissionem servum fuisse aut justam servitutem passum esse, male arbitratur. Non omnem enim differentiam ingenuitatis & libertinitatis

tatis cessare; cum aliis tradit Vinn. ad §. 1. I, de Ingen.

**THES. VII.**

Sed hodie omni servitute inter Christianos, ob eorum mansuetudinem, cessante, dispositio juris ciuilis adhuc locum obtinet, si videlicet bellum cum infidelibus & Christiani nominis hostibus geratur. Turcae enim & Saraceni, sicut captos Christianos ad durissimam adiungunt servitatem, ita eodem talionis jure, cum religione fidelium servitus haud repugnet, Hahn. ad Wefenb. tit. ff. de capt. & post. rev. contra ipsos etiamnum hoc jure uitimur. Myns & Manz. ad §. 4. Inst. de jur. person. Imo licet servitus nullibi obtineret, non tamen haec de servis inutilis esset scientia. Hominibus enim propriis, qui quidem non servis, sed liberis hominibus annumerantur, servis nihilominus haud sunt dissimiles. Probante hoc Husan. tract. de serv. & hominibus propriis c. 2. n. 25. & 37. nec non Stamm. de servitate personali. lib. 3. c. 2. n. 17. idcirco omnia fere jura servorum secundum analogiam his applicari posse recte docent.

**THES. VIII.**

Quin imo sicuti quandoque libertas & ingenuitas quiescit, sic & in aliis casibus nonnunquam conditio nativa dormit; inde enim, referente Harprecht. ad §. 1. Inst. de Ingen. decidi potest quæstio, quid juris sit, si infans a parentibus suis expositus, & a sacerdote aliquo, concubinam alente sublatus & commiserationis gratia educatus sit gratis, atque omnibus vulgo pro filio ipsius sa-

B

cer-

cerdotis habitus, tandem eo mortuo legitimationem sui, vel restitutionem natalium ab Imperatore vel Comite aliquo Palatino impetraverit. Numquid talis legitimatio ei præjudicet? & talem legitimationem ei haud nocere: *argum.* §. 1. recte concludit Rittersh. *ad hanc* §. 1. Pariter si Majoribus alicujus nobilitas competit: Successores vero ob injuriam bellorum illa aliquamdiu usi non fuerint, sed postea nobilitatis renovationem impetraverint, istam nobilitatem non prona va, sed antiqua esse reputandam, modo tamen interim nihil admissum, quod nobilitate aliquem reddere possit indignum, Hoppius *ad* §. 1. *Inst. de Ing.* tradit. Quo casu nobilitas non fuit mortua, neque restituta, sed aliquamdiu sopita, dormivit.

## THESS. IX.

Non vere duntaxat, uti traditum, sed sicut quoque dormit libertas in iis, qui ab hostibus capti sunt. §. 5. *Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv.* sive revertantur ab hostibus, sive apud eos moriantur; priori casu introducta fictio postliminii, posteriori legis Corneliae: illa facit, ut retro semper in civitate fuisse & nunquam captus fuisse videatur *I. 6. §. ult. ff. de tut.* hæc vero operatur in casum mortis, & facit ut ipso tempore & punto quo captus est, imo quo capiendus, & antequam adhuc captus eset, decessisse videatur, & ita nunquam venisse in hostium potestatem. Effectus hujus fictionis est, ut conserventur actus, qui alias per servitutem infirmantur. Veluti testamentum, modo illud ante captivitatem conditum, apud hostes enim factum te sta-

stamentum non valet, licet redierit. §. ult. *Infl. quib.*  
*non est permis. fac. tēs.* Ratio differentiae est, quod  
 non confirmantur, quæ apud hostes gesta sunt, nisi ha-  
 beant præjacentem materiam: ex quo sit, ut si  
 quis ex uxore secum capta sustulerit liberos apud ho-  
 stes, & cum iis reversus sit, liberi justi sint. *I. 25. ff.*  
*de capt. & postlim. rev.* quia nimirum matrimonii  
 um ante rite contractum erat. Inde quoque est, ut co-  
 dicilli facti apud hostes, si revertatur qui ante testamen-  
 tum fecit, sustineantur. *I. 12. §. 5. ff. de captiv. & post-*  
*lim. rev.* Illius vero, juris postliminii scilicet, fictionis  
 insignis est effectus, ut filio interim in civitate mortuo,  
 pater reversus omnia bona ab illo relista, peculii jure  
 occupet, adempta ei, qui eo non reverso, bona jure her-  
 editario tenuisset. *I. pen. in fin. ff. de suis & legit.* item  
 ut si filius familias interim pecuniam mutuam acceperit,  
 patre reverso, tanquam si id contra Senatus Consultum  
 Macedonianum factum esset, creditori actio non detur.  
*I. 1. §. 1. ad Sctum Macedon.* Denique ut quæcunque  
 interim servus captivi acquisivit, reverso ex hostibus ac-  
 quirantur *I. 22. §. 1. ff. de capt. & postlim. rev.* Quæ  
 secus se haberent, si captivus apud hostes moreretur.

## THES. X.

Cognito jure ex statu libertatis orto dormiente,  
 nunc ulterius ad jura civitatis eodem modo quiescentia  
 progrediendum. Civitatum, siquidem in hostium in-  
 cidentium potestatem, jura impediuntur, nec aliter rur-  
 sus exerceri possunt, quam si vi ad libertatem pervene-  
 runt, quod sit, quoties vel felicius arrepta arma, vel vis

B z

socio-

lociorum eas eximunt imperio hostili. *Grot. de jur. bell. & pac.* lib. 3. c. 9. §. 9. Ejectis ita a Trafybulo Tyrannis a Laconibus constitutis, reipublicæ procuratio populo reddita. *Nep. in Traf.* c. 3. Legibus forte abolitis ab hostibus, vicissim utuntur. Sic debellato Philippo omnes Græciae ciuitates libertatem ad suas leges habere iussæ sunt. *Liv. lib. 33. c. 16.* Et quæ ante possederunt in prius dominium recidunt. Interemis ita dolo Schytis, Medi Asiae imperium recuperarunt, receptis iis quibus prius potiebantur. *Herod. l. 1. p. 22.* Non vero dormit, sed mortuum omnino est civitatis jus, quando armis vici hostibus se dederunt. *l. 17. ff. de capt. & postlim. revers.* fides enim hosti servanda est. *argt. l. 1. pr. ff. de pac.* Eiusmodi enim dediti imperio victorum subesse coguntur, vel eorum maiestatem comiter colere & conservare jubentur. Quod enim hosti dedimus, sive cum, sive sine pactione, id secundum naturalem rationem plane abdicamus, & in hostium potestatem transferimus. At qui voluntate nostra a nobis abit, per reversionem suam non magis fieri noster poterit, quam servus a nobis alienatus, si se domino subduxerit, inquit Ziegler. *ad Grot. l. 3. c. 9. §. 8.* Sed cum hostibus deditus jure postliminii revertatur *l. 4. ff. de capt. & postlim. revers.* non videntur jura ciuitatis in eo mori, sed usque ad redditum dormire. Interque servum a nobis alienatum & se domino subducentem, & hostibus deditum rursusque reversum, magnam intercedere differentiam, in aprico est.

THESES. XI.  
1000

35 (13) 58

THES. XI.

Ipsa vero multitudo, quæ civitatem constituit, si dissoluta sit, quod accidit, quando singuli personalem servitutem subeunt, cum non idem populus esse censentur, nec jura civitatis ibi manent, sed prorsus extinguiuntur, quia populus, ut inquit Grot. *de jur. bell. & pac. l. 3. c. 9. §. 9.* ut navis, partium dissolutione plane interit, eo quod tota ejus natura in ista perpetua conjunctione plane consistat. Non ergo, porro ait, quae fuerat Sagunti, civitas eadem extitit cum veteribus cultoribus ea sedes octavo post anno restituta est; neque Thebæ, cum jam Thebani in servitutem ab Alexandro venissent. Sed hoc Gron. *ad Grot. d. loc.* probare non potest. Imo quia veteribus cultoribus superstitionibus post breve tempus (Saguntus octavo, Thebæ vigesimo anno, salva lingua, legibus, moribus, institutis, religionibus, & sacris ordinibus & corporibus civitatis,) restitutæ sunt, fuerunt eadem, ipsis Saguntis apud Liv. 28. 39. ita judicantibus. Alia vero Gron. Capuæ & Carthaginis substituit exempla, quarum illa cum centum & quinquaginta, hæc centum annos in ruderibus jacuissent, a Julio Cæsare jura urbium, Romanis colonis attributis, recuperarunt.

THES. XII.

Hæc quæ jam de statu civitatis adduxi in primis de civitatibus liberis, quæ propriam habent rem publicam & summo gaudent imperio, suisque vivunt legibus, intelliguntur. Nam quæ summum ius, arreptis & feliciter ge-

stis armis adeptæ sunt, & ad libertatem, uti dicitur, pervenerunt, haec civitates præcipue recuperant, expulsi hostibus, priora jura; tempore enim obsessionis illa cessarunt & in suspenso fuerunt: alteræ autem civitates, vel vi sui principis vel opera confœderatorum liberatae ab hoste; ad veterem obedientiam revertuntur, aut antiquo iterum corpori conjunguntur, quia possessio regionis ab hoste occupata officere non potuit juri principis vel integri etiam corporis, quod nisi derelictione, quæ sine facto non presumitur, non amittitur. add. Grot. l. 2. c. 4. Sin vero civis quidam ex illa civitate hostium factus est servus, dormiunt jura civica, quibus antea gavisus est, & quidem tamdiu in hostium potestate est; postquam vero redierit, omnia jura, quæ hactenus propter incertitudinem eventus quieverunt & in suspenso fuerunt, recuperat, fingit enim jus postliminii sum semper in civitate fuisse, ut supra dictum.

## THES. XIII.

Jura civitatis excipiunt jura familiae dormientia: patr. enim vel filius familias, si captus ab hoste, quamdiu captivus est, jura patriæ potestatis pendent. §. 5. Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. Quod si vero parens vel filius familias facta pace, vel lytro soluto, & redemptione, vel permutatione, vel proprio invento, vi aut fallacia, vel quovis alio modo captivitatem & hostium manus effugiat, vel victis hostibus recuperetur, jura pristina evigilant. §. 5. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. omnia liquidem jura, quæ ante captivitatem habebat, recipit, fingunt enim jura cum, qui captus, numerum

quam in captivitate fuisse. Wesenb. in parat. num. 2.  
 & 7. de capt. & poslim. revers. desumit rationem  
 ex naturali æquitate, æquum enim est, ut qui per inju-  
 riam ab extraneo detinebatur, is recuperata civitate, et  
 iam alia sua jura recuperet. Hæc adhuc hodie suum  
 habere usum tradunt, DD. ad §. 5. Inst. quib. mod.  
 jus patr. pot. solv.

## THE. XIV.

Casibus enumeratis non duntaxat dormit patria  
 potestas, sed insuper, quando filius familias extraneæ per-  
 sonæ in adoptionem datur. Hæc enim adoptio non  
 secus, ac olim jus patriæ potestatis secum adfert. Filios  
 enim familias non solum natura, verum & *adoptiones*  
 faciunt l. 1. pr. ff. de adopt. Et non potest filius, qui est  
 in potestate patris ullo modo compellere eum, ne sit in  
 potestate, sive naturalis sive *adoptivus* l. 31. ff. de adopt.  
 Nonnunquam autem impubes, qui *adoptatus est*, audi-  
 endus erit, si pubes factus, emancipari desideret. l. 32.  
 ff. de adoption. Eum porro, quem quis *adoptavit*, e-  
 mancipatum vel in adoptionem datum, iterum non pot-  
 est adoptare. l. 37. §. 1. ff. de adopt. Quibus in legibus  
 nulla omnino fit inter adoptatos differentia, neque ulla  
 adoptantium & in adoptionem datorum reperitur mu-  
 tatio. Quod autem non mutatur, quare stare prohibe-  
 tur l. 27. Cod. de testam. Tantum abest jura illa mu-  
 tata, ut etiam novissima Imperatoris constitutione, l. pen.  
 Cod. de adopt. nimurum, sint confirmata. Sancitum e-  
 nim per adoptionem ad extraneam personam factam,  
 jura patris naturalis minime dissolvi, sed ita cum per-

manere, quasi non fuisset in alienam familiam translatus. Sin autem per emancipationem jura adoptiva fuerint dissoluta tunc maneat, tanquam non fuisset ab initio in adoptionem translatus. l. pen. §. 2. Cod. de adopt. cum nunc ita is permaneat quasi ac tanquam non fuisset in alienam familiam translatus, sequitur omnino, quod revera fuerit in alienam familiam translatus & singitur non translatus. Natura liquidem propria dictio*nis* quasi & tanquam est, denotare improprietatem, fictionem & deminutionem. L. 11. §. 3. & 5. ff. ad Leg. Aquil. l. 18. ff. de reb. cred. l. 14. §. 1. C. de Sacrosanct. eccles. Strauch. Lex. partic. jur. voc. quasi & tanquam. Praeterea quia per emancipationem jura adoptiva dissolvuntur, necessario illa jura exitere, argt. §. 6. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. Quibus non obest, integra omnia jura servari, quando parens naturalis filium suum adoptandum ali dederit. §. 14. Inst. de heredit. que ab intest. defer. Quænam enim sint illa jura, Justin. tam in d. §. 14. quam in l. pen. Cod. de adopt. plenius enarrat. Olim ab extraneo adoptati naturalium parentum successione excidebant. §. 10. Inst. de hered. que ab intest. defer. desinebant enim sui esse heredes. argt. §. 8. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. Adoptione vero per emancipationem, post mortem patris naturalis, facile soluta, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc corrigens Justinianus jus legitimæ successionis in bonis patris naturalis integrum servari voluit, perinde *alique si in patris naturalis potestate permanisset*, qua sane fictione non fuisset opus, si revera mansisset. Hæc fictio operatur, ut in adoptionem extraneo datus, possit in testamen-

mento patris adoptivi præteriri, nec est testamentum patris adoptivi nullum. *d. l. pen. Cod. de adopt.* Neutquam vero inde colligitur, quod non sit in ejus potestate. Causa enim non semper arguit effectum, effectus enim potest impediri a causa maiore, *argt. §. 29.* *Instit. de Rer. div.* Imo saepe effectus manet, causa sublata. *argt. §. 6. Instit. quib. mod. jus patr. potest. soln.* Non magis quoque implicat manifestissimam contradictionem, omnia perinde haberi, ac si adoptio non fuisset secuta, & omnia jura filio manere integra, quoad patrem naturalem, & hujus jura minime dissolvi, & tamen filium transire in patris adoptivi potestatem; quam si bona fidei possessor dicat, se rem usucipisse, quam tamen non usuccepit *§. 4. Inst. de aet.* Contradiccio enim non est solummodo affirmatio & negatio, sed ejusdem de eodem secundum idem, ut Logica periti tradunt. Quia jura illa integra ita servantur, atqui si in patris naturalis potestate permanisset, nec penitus adoptio fuisset subsecuta: *Nisi* in hoc tantummodo casu, ut possit ab intestato ad patris adoptivi venire successionem: inde certe manifesto liquet, patriam potestatem adoptivo patri competere, & solum in expressis casibus esse restrictam. Effectus enim testatur de causa. Proinde non licet ducere sororem ejusmodi adoptivam, aut nubere fratri adoptivo. Item non licet ducere patris adoptivi sororem, nec fratris adoptivi filiam, neque pater ejusmodi filiam adoptivam licet emancipatam. *§. 1. 2. & 5. Instit. de Nupt.*

## THES. XV.

Tutela quatenus pro jure tutoris in pupillum capitur, & vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui se propter ætatem defendere nequit. §. 1. *Instit. de tutel.* definitur, & circa personam occupatur, cum jure personarum affinitatem habet. Quia pupillorum ætas ita comparata est, ut ei per prudentiores consulendum sit. l. 3. pr. & §. 1. ff. *de tutel.* Hahn. *ad Wesenb. tit. de tutel. n. 3.* Quæ proinde nonnunquam dormire solet, quando scil. tutores Reipublicæ causa absunt, & interea curator loco eorum datur. Neque his obstat, quod causa excusationis, post suscepitam tutelam primum superveniens, immunitatem non præbeat. l. 28. pr. l. 17. §. 1. l. 45. pr. ff. *de excusat. tut. vel curat.* Quoniam non excusantur simpliciter & absolute, sed eatenus, quatenus & quandiu Reipublicæ causa absunt. Causa enim limitata, limitatum producit effectum. Si enim reveri fuerint, recipiunt onus tutelæ, nam nec anni habent vaccinationem, hoc enim spacium habent ad novas tutelas vocati §. 2. *Instit. de excus. tut. vel curat.* Hoc casu quiescere solum tutelam, non extingui, inde patet, quod tempore absentiae non aliis tutor, sed ejus loco curator detur. Eadem de causa dicitur in cit. text. *recipiunt. tutelam enim ipsam non deposuerunt.* l. 41. §. 2. ff. *de excus. tut. vel curat.*

## THES. XVI.

Post jura personarum dispiciendum etiam de jure rerum. Quod est moralis facultas jure quæsita, circa

res juste aliquid agendi vel habendi. Hujus iuris natu-  
ram latius explicat Molin. *de iusfit.* & *jur. Tr. 2. disp. 1.*  
ejusque duæ sunt species *in re* & *ad rem* l. 71. §. pen.  
& ult. ff. *de leg. 1. l. 30. ff. de noxal. act. l. 2. ff. de pol-*  
*licit. l. 3. ff. de obligat.* & *act.* Illud non aliter posse  
commodius definiri Molin. d. *Tr. 2. disp. 2.* arbitratur,  
quam si dicamus: Est jus circa rem aliquam, ad quod  
res ipsa devincta est. Jus vero *ad rem*, est jus circa rem  
aliquam, ad quod res ipsa non est devincta. Sed has  
definitiones ferme ipso definito obscuriores esse exami-  
nanti constat. Si quis in earum locum alias a Doctori-  
bus traditas substituit, quibus jus *in re* est, quod in ipsam  
rem devinctam competit, & actionem realem producit.  
Jus vero *ad rem*, quo personam ad rem præstandam ha-  
bemus obligatam, citatis textibus conformius loquitur.  
Sed utrum bonæ definitionis præceptis accurate conve-  
niant, ambigo. Sane jus *in re* esse, quod *immediate*  
rem afficit, jus *ad rem* vero quod rem *mediate*, me-  
diante scilicet persona, afficit, non solummodo legibus  
supra citatis probatur, verum etiam ipsa natura utrius-  
que juris accuratius demonstratur. De jure *in re* mihi  
primo agendum, quale jus esse dominium, nemo ha-  
cetenus assererere dubitavit, utut illud juris *in re* speciem  
esse, aliisque speciebus oppositam, quidam negare ausi  
fuerint, de qua re paulo post pluribus agendum. Do-  
minium vero, quod rem facit nostram, non minus, quam  
jus personarum quandoque dormit: ut si quis ex aliena  
materia in suo solo aliquod ædificium extruxerit, ipse  
ædificii quidem dominus fit, quia omne quod solo in-  
ædificatur, solo tanquam fundamento cedit. §. 29. *Inß.*

de rer. divis. cum accessio cedat suo principali & pars  
 toti. Id quod & naturalis & civilis ratio postulat. l. 98.  
 in fin. ff. de solut. l. 2. ff. de superfic. Nec tamen is qui  
 materiae dominus fuerat, dominus ejus esse. §. 29.  
*Inst. de rerum divis.* inde liquet ejusdem rei aliter con-  
 siderata, diversos esse dominos, neque hoc juri repu-  
 gnare, patet ex lege 30. ff. de jur. dot. junct. §. 1. *Instit.*  
 quib. alien. licet vel non. Ideo opus non est, tignum  
 consideretur in se & tanquam substantiam extra ædifi-  
 cium habens, ut vult Bachov. ad §. 29. *Inst. de rer. div.*  
 Quiuscum tamen ejus dominum, quia dominus materiae  
 tantisper neque vindicare eam potest: neque ad exhib-  
 endum de ea re agere. Cum nihilominus alias tam  
 rei vindicatio quam actio ad exhibendum domino com-  
 petat, l. 23. ff. de Rei Vindicat. l. 1. ff. ad exhib. Quæ  
 exceptio introducta est Lege XII. Tabularum, quæ ti-  
 gnum ædibus junctum eximi aut vindicari vetat. Idque  
 propter utilitatem publicam, ne scilicet ædificia rescindi  
 necesse sit. §. 29. *Inst. de rer. div.* & publicus ita ur-  
 bis aspectus ruinis deformetur l. 1. ff. de tign. junct. l.  
 10. §. 10. ff. de nob. oper. nunciat. Quæ ratio tam gene-  
 ralis est, ut ne quidem adversus malæ fidei possessorem,  
 vel furem qui tignum furto sublatum ædibus suis injun-  
 xit, rei vindicatio institui possit l. 1. pr. ff. de tign. junct.  
 Neque adversatur. l. 23. §. 6. ff. de rei vindic. ubi utra-  
 que actio a domino institui non potest, nisi adversus  
 eum, qui sciens tignum alienum junxit ædibus. Quoniam  
 eum non convenimus, quasi possidentem, sed ita  
 quod dolo malo fecerit quo minus possideat. l. 1. §. ult.  
 ff. de tign. junct. Hac ratione ad æstimationem tigni  
 com-

competit. Eodem modo Lex XII. Tabl. signum ædibus junctum vindicare posse, scit, interim id solvi prohibuit, præmiumque ejus dari voluit. *l. 98. in fin. ff. de solut.*

## THE S. XVII.

Prorsus vero extinguitur dominium tigni, si forma rei quodammodo mutata sit, veluti, si quis arborem alienam vivam exciderit, & ex ea tigna & tabulas fabricaverit, cum ita nova species sit facta. *argt. l. 26. ff. de acqu. rer. dom.* Velsi quis jam materiam alterius, quam postmodum ædificio suo ignorans & bona fide jungit ejusq; partem facit, ceperit usucapere, & ad implendam usucapiacionem, pauci forte dies supersint, intra quos probabiliter, dominus materiam non vindicasset, tum enim modo cœpta poterit usucapio impleri. *l. 30. §. 1. ff. de usurp. & usucap.* Itidem diversa est ratio tigni ædibus juncti, & gemmæ auro inclusæ, hæc enim ut separetur & restituatur ad exhibendum agi potest. *l. 6. ff. ad exhib. l. 23. §. 5. ff. de rei vind.* ubi enim cessat ratio, ne scilicet rescindi ædificia necesse sit, ibi & iuris dispositio. *l. 6. §. 2. ff. de jur. patron.* Quod si vero aliqua ex causa dirutum sit ædificium, exsurgit dominium, & poterit materiae dominus eam vindicare, & de ea re ad exhibendum agere. *§. 29. Inflit. de rer. div.* Etiam si ædificans bona fide statuto tempore materiam junctam ædificio possederit: quia negligentia non potest objici omnino, qui propter L. XII. Tabl. materiam vindicare non potest. Nam non valenti agere non currit præscriptio. *l. 1. §. 2. Cod. de ann. except.*

Additur vero in textu, tum saltem competere vindicationem materiae domino, si non fuerit jam consecutus duplum. Quia de causa ne dominus materiae, cogatur re & pretio carere, donec aedificium sit dissolutum, remedium aliud interim ei competit, scilicet actio de tigno juncto in duplum. d. §. 29. *Instit. de rer. div.* & l. 1. ff. *de tign. junct.* Etiam contra eum qui junxit, tignum, ignorans esse alienum. Quia indistincte ea actio proponitur, contra eum, qui junxit, ubi vero lex non distinguit, nec nobis distinguendum est. *argt. l. 8. ff. de publ. in rem act.* Quod confirmatur l. 23. §. pen. ff. *de rei vindic.* ubi contra jungentem est actio de tigno juncto in duplum, non autem vindicatio, neque actio ad exhibendum, quod unice de bona fide jungente intelligi potest, quia contra scientem in cit. lege, & rei vindicatio & de tigno juncto actio datur: porro per actionem de tigno juncto institutam, consumitur rei vindicatio, ut scilicet soluto aedificio, materia amplius vindicari non possit, quod ad scientem non pertinet, contra quem licet sit actum de tigno juncto, extrinsecus adhuc datur rei vindicatio. l. 2. ff. *de tign. junct.* Videtur quidem iniquum, ut qui tignum putans esse suum, junxit aedibus, teneatur in duplum. Sed habet quod sibi imputet: & non tantum jungentis, sed etiam domini tigni habenda est ratio, qui invitus cogitur carere re sua: quam quasi injuriana, concessa actione tigni juncti in duplum compensare Lex XII. Tabl. voluisse videtur. Addunt & alii hanc rationem, quod jungens necessitatem sol- vendi

vendi duplum vitare possit, si tignum exētum restituat; sed cum controversum sit, an bona fide possessor tignum eximere possit, si velit, & excludere actionem vel condemnationem in duplum. Ratio inde desumpta non potest dici omni exceptione major. vid. Bachov. ad cit. §. 29. *Inst. de rer. divisi.* Verum enim vero si B. Struv. in *Syntagm. jur. civ. Exerc. 48. tb. 30.* sequor, qui noviter statuit actionem de tigno juncto, tam ratione bona fide, quam ratione mala fide jungentis, esse rei persecutoriam, & contra utrumque dari in duplum, ita ut hoc contineat pretium rei, ac estimationem ejus, quod interest, res minorem habet difficultatem, eo enim modo bona fide jungens, poenam non solvit, introducta enim haec est actio in locum rei vindicationis. l. 23. §. 6. ff. *de rei vind.* cum Lex XII. Tabl. solvere non permisit tignum alienum aedibus junctum, ne aedificia diruantur. Tantum itaque loco tigni, quod restitui non potest, duplum, non ut poena, sed ut pretium tigni, una cum eo, quod interest, duplo estimati, præstatur.

## THESES. XIX.

Dominium æque dormit, si cuius totus ager inundatus est, nam fundus ejus manet, cuius & fuit, inundatio enim speciem non commutat, §. 24. *Inst. de rer. divisi.* & subita intumescentis fluminis irruptione prædia non continuuntur, dissolvuntur, aut excavantur, sed aqua duntaxat operiuntur. l. 1. §. 9. ff. *de flumin.* Attamen cum inundatio possessionem auferat. l. 3. §. 17. ff. *de acqua vel amitt. poss. & usumfructum:* ita tamen ut recedente flumine statim restituatur. l. 24. ff. *quib. mod. nffus*

*ususfr. amitt.* Insimul per intumescientiam fluminis usus domino cum auferatur, sicque effectu dominii careat, ideo per inundationem interim proprietatem amissam dixit Jurisconsultus in l. 23. ff. quib. mod. *ususfr. amitt.* vel non loquitur de simplici inundatione, cum flumen retento alveo, extra ripas se effundit, sed cum deserto alveo totum impete in agrum alicujus perrumpit, quasi novum alveum querens. Vinn. ad. §. 24. *Inst. de rer. dip.* Sive proprietas inundatione amittitur, sed non in ea specie vere & propriè, verum apparenter, alias non restitueretur decessu fluminis. Bachov. ad *Wesemb.* quib. mod. *ususfr. amitt. n. 4.* Sed Pomponium ita intelligi debere, ut flumine vel mari inundante agrum, proprietas non absolute amittatur, sed interim tantum, i. e. durante occupatione, quamdiu non est mutatus alveus fluminis, ut arbitratur Faber ad d. l. 23. mihi non placet, quia inundatio uti speciem non mutat, sic nec dominium.

## THES. XX.

Quomodo aliquamdiu dominium & prima juris in re species requiescat, expositum, modo consideranda servitus, qua non minus species juris in re est, quam dominium. l. 30. ff. *de nox. act.* l. 2. §. 1. l. 8. §. 3. ff. *Si servit. vindic.* Cui non obest, quod pro ipsa servitute vindicanda competit actio in rem confessoria, atque adeo servitus sit illud, quod actione reali persequimur. l. 9. ff. *de novi oper. nunc. tit.* ff. *si servit. vindic. tit. ff. si ususfr. per.* Idem autem non possit esse causa proxima actionis realis & insimul objectum illius. Quoniam non ipsa servitus petitur, sed ea tantum defenduntur

tur l. 8. b. §. 4. ff. si servit. vindic. & liberum servitutis exercitium, quod actori abest, persequendum est. Et actio confessoria est ex servitute jam constituta & acquiesita; si enim solum promissa, alia actione opus est. Cum actio personalis, non realis, eo casu acquiratur. Bachov. ad §. ult. Inst. de servit.

## THESS. XXI.

Cum servitus duplex sit, aut personarum aut rerum, l. 1. ff. de servit. utriusque servitutis quies in l. 24. ff. quib. mod. ususfr. vel us. amitt. reperitur. Si quis enim horti usumfructum habeat, & flumen hortum occupavit: deinde ab eo recessit, jus quoque ususfructus restitutum esse, Labonei videtur: quia id solum perpetuo ejusdem juris mansisset. Javolenus id verum putat, si flumen inundatione hortum occupavit, nam si alveo mutato inde manare cœperit, amitti usumfructum existimat: cum is locus alvei publicus esse cœperit, neque in pristinum statum restituī posse. Idem juris in itinere & actu custodiendum est. Qua in lege usumfructum restitui & amitti opponuntur, inde necessario sequitur, quia inundatione horti, ususfructus, iter & actus restituuntur, quod durante inundatione hæ servitudes manserint & re vera extiterint. Neque cum Fabro ad d. l. 24. statuendum, quod ususfructus facilius amittatur, quam proprietas, cum fieri non possit, ut quis utatur fruatur horto, quem aqua fluminis etiam per inundationem occupaverit. Ne quidem ad pescationem, quia piscatio non sit in horto, sed in flumine, cuius tamen ususfructus, neque legatus est, neque legari potuit: quia hoc ipsi textui repugnat, ubi inter usumfructum restitui & amitti distinguitur. Non itaque durante inun-

D

dati-

datione ususfructus amittitur, sed dormit, recedente vero aqua, priores vires recuperat. Idem de itinere & actu ferendum est judicium.

## THE S. XXII.

Nunc transeundem ad pignus, quatenus nimirum denotat ipsum jus in re. l. 26. ff. *de pign. act. t. t. quib. mod. pign. tac. contr.* significat quidem etiam contractum pignoris l. 1. §. 4. ff. *de patr. l. 5. §. 2. ff. commod. vel contr.* nec non rem in securitatem debiti obligatam. l. 1. §. 6. ff. *de Obl. & act. t. t. ff. & Cod. de distr. pign. §. fin. Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* sed posterioribus significationibus nunc relictis, prior hoc loco consideranda est. Pignus vero non minus quam servitutem esse juris in re speciem patet ex l. 30. ff. *de noxal. act. l. 19. ff. de damn. inf. l. 17. ff. de pign.* Et falsum est pignus hoc, actionis realis objectum esse non caussam, actio enim hypothecaria, quae revera realis est §. 7. *Inst. de act.* non tendit ad restitutionem juris pignoratii, quod creditor i salvum ubique manet l. 18. §. 2. ff. *de pignor. act. l. 15. C. de pign.* sed ad traditionem rei oppignorata l. 66. pr. ff. *de evict. l. 2. C. de prat. pign.* Hocce jus in re non minus aliquando quieti indulget. Certum enim est, creditori, cui pignus constitutum, non personale solum, sed & hypothecariam competere. Verum antiquissimo jure in hoc concursu, non erat in arbitrio creditoris, utram vellet movere, sed cogebatur prius movere actionem principalem ; sive personalem contra debitorem, & postea demum transire ad accessiones ; quia id agi inter contrahentes videbatur, ut principalem sequatur accessio instar sequelæ, argt. l. 19. §. 13. ff. *de aur. & arg. leg.* hac ratione pignoris effectus cessavit. Sed veteri hoc jure mutato, inductum est, ut sit in arbitrio creditoris vel utram-

utramque actionem simul intendere, & personalem contra debitorem, hypothecariam contra extraneum rei pignorata possessorum, *l. ult. C. de Obl. & Act.*, vel utram velit prius movere, nisi aliter convenerit. *l. 14. & l. 24.*  
*Cod. de pign.* Quo jure pignus non quievit. Ratio hujus juris mutati fuisse videtur, quod utraque actio & obligatio sit & pura, & contra diversas personas, proinde utraque statim institui possit nec sit differenda, nisi ex arbitrio ejus, cui utraque competit. Sibique imputare debet, vel fidejussor, vel rei oppignerata emtor, quod si bi non melius caverit, curare enim debet cautius negotiari, *argt. l. 2. Cod. de furt. & serv. corrupt.* Sed novissimo jure jus vetus inumbratum, imperiali remedio illuminatum est. *Nov. 4. & 136.* & vicissim constitutum, ut prius conveniatur principalis debitor, quam accessori, si modo debitor sit praesens. Reo vero absente, cessat ordinis remedium. Ex quo rursus liquet, quatenus jus pignoris & quandiu requiescat. Quamvis si creditor obtinuerit, nec tum possessor satisfacere cogatur, nisi prius cedat actiones contra principalem competentes.

## THESS. XXIII.

In mercatoribus vero hoc jus novum non obtinere quidam interpretum opinantur, argumento Argentariorum, qui hoc privilegio gaudent. *Nov. 4. & Nov. 136.* Quae comparatio argentariorum & mercatorum non videtur juri conveniens, eo quod argentariorum officium, quasi publicum, multisque privilegiis donatum in jure habeatur: mercatores vero sint privati & alia eorum eaque per pauca sint privilegia, adeoque & in mercatoribus, jus pignoris, ob excursionis beneficium otari statuendum esse, existimo. Multo magis vero hoc

jus novum & excussionis beneficium obtinet, pignusque  
 quiescit eo casu, quo res pignorata creditoris fuerit ab  
 ipso debitore tradita, perspicuum sane hoc est, semper  
 enim extraneus vel alius, ut sit possessor, necesse est,  
 qui conveniatur hypothecaria, ut dubitari possit, cum  
 utro prius agendum sit, id est, cum debitore, actione  
 in personam, an cum possessore, actione in rem. Secus  
 tamen si creditor, cui tradita res a debitore eam amiserit,  
 tum enim tenetur prius contra possessorem agere, nisi velit  
 exceptione doli, agens contra debitorem, repelli, quod  
 culpa sua possessionem amiserit. *I. 4. § 3. ff. de doli mal.*  
*& met. except.* Utrum vero constitutum possessorium pi-  
 gnoris quietem turbet, ut si creditor constitutum posses-  
 sorum pro se habeat, contra tertium possessorem a-  
 gere possit, non obstante beneficio excussionis, non a-  
 deo expeditum est. Cum sint qui hoc constitutum pos-  
 sessorium, figmentum Glossographorum & ab iis per erro-  
 rem usū, atque adeo in foro receptum, autument. Quod  
 toto jure ejus constituti nulla, aut mentio aut vestigium  
 extet, cum in *I. 18. ff. de acquir. vel amit. poss.* in qua  
 sedes constituti possessorii ponitur, de eo extet nihil.  
 Dicitur quidem ibi: *quod meo nomine possideo, possum*  
*alieno nomine possidere*, quod tamen de constituto pos-  
 sessorio non intelligendum, cum variis modis, qui meo  
 nomine possideo, alieno nomine possidere possim, ut  
 procurator meus, fundum suum mihi vendit, quem  
 fundum ego volo ut ipse, licet jam meum, teneat. Hic  
 procurator fundum jam alieno possideret, id est, meo,  
 quem antea suo possideret. Porro hoc constitutum,  
 contra rationem juris esse putant, quæ requirit natura-  
 lem, sive corporalem apprehensionem, in possessionis ac-  
 qui-

quisitione. Sed in constituto nullum intervenire factum, constituentis enim verba tantum & voluntas, ejus vero cui constituitur sola voluntas & consensus interveniat. Verum enim vero cum perpetua nunc usu & in foro recepta sit interpretatio, cit. in l. 18. ff. de acqu. vel amitt. poss. constitutum possessorium locum habere, cum Doctoribus non immerito statuendum, quod creditor, si constitutum possessorium pro se habeat, non excusso debitore, contra tertium possessorem agere possit ex l. fin. Cod. de acquir. possess. & hoc remedium competere constitutario, etiam si hic secundus sit, statuit Brunnem. cum DD. ab eo citatis ad d. l. 18. de acquir. vel amitt. poss. n. 4. & 11. In hoc itaque casu pignus quiescit, nec effectum producere potest.

## THES. XXIV.

Cum sit expositum de pignore, sequitur, ut de possessione aganius. Quod vero possesio, jus non sit ex injusta possessione, non evincitur, cum possesio dicatur, injusta accidentaliter tantum & ratione tituli & acquisitionis, l. fin. ff. de acqu. poss. l. fin. Cod. de rei vind. posse vero ex injusto titulo jus acquiri, non minus verum est, quam quod quoque ex erronea causa dominium acquiratur. §. 1. Inst. quib. mod. recontrab. oblig. Quod vero sit jus in re, pariter negari non potest, cum ex possessione interdictum reale proficiatur, argt. l. 1. §. 1. in fin. ff. de superfic. Effectus possessionis varii sunt, Wesenb. tit. ff. de acqu. poss. n. 7. Zoef. ibid. n. 21. & 22.

Principis tamen facile omnium & potissimum, quod per eam perficiatur usucapio, cuius hinc fundamentum est, sine possessione enim usucapio contingere non potest. l. 25. ff. de usurp. & usucap. Sed ille effe-

Etus possessionis quandoque cessat. Unde si pupillus, contra quem nec incipere potest præscriptio, nec ante, contra defunctum incepta, continuari, fundo vel servitute non uteretur, alius quispiam eundem fundum vel servitatem posidere vel quasi posidere ceperit, ei fundum vel servitatem vindicanti, exceptio præscriptionis non obstabit; quoniam durante ea aetate onnis præscriptio dormit & cessat. l. 48. in pr. ff. de acqu. rer. domin. l. 10. in pr. ff. quemadm. serv. amitt. Zang. de except. c. 10. q. 3. n. 159. Hinc inquit idem n. 157. & seq. d. tr. ex eo manifestum esse, longe aliud esse, præscriptionem dormire, atque præscriptionem interrumpi. Cum enim interrumpitur præscriptio, inchoata ad nihilum recidit, & rursus de novo ordienda est, priore nihil commodante. At cum dormit præscriptio, prius inchoata non est nullius momenti, sed sublatu impedimento, eadem continuatur, & tempus prius cum sequente conjungitur.

## THES. XXV.

Ultimo loco refero hereditatem juris in re speciem, uti non solum l. 5. § 5. ff. de his qui effuder. vel dejec. verum inde quoque quod actionem in rem producat. l. 8. l. 19. § 1. ff. de pet. her. probatur. Non vero hac actione jus hereditarium quis, sed se heredem declarari, & proinde hereditatem, ab eo qui pro herede vel possessore possidet restituvi petit. Post liteum motam, quando controversia est, licet nondum sit lis, id est, judicialiter nondum pendeat lis, Brunnem, ad l. 5. ff. de petit. hered. non licet possessori res hereditarias distrahere, dum enim pendet judicium petitæ hereditatis, incertum est, utrum actor an heres verus heres sit, hac ratione jus hereditarium in suspenso est, & non alter possessori, etiamsi forte verus heres sit, rerum in heredita-

ditate repartarum, distractio permissa, quam præstita satis datione, nimirum, de judicatum solvendo, vel alia solita cautione, scilicet, de rebus hereditariis conservandis & non diminuendis, nisi causa cognita, aliud exigat utilitas, sic ob causam necessariam, conceditur distractio, v.g. obfunerandum defunctum, vel ut familiae alimenta præstentur, item ne pignora pretiosa vendantur a creditore, vel ut solvatur æs alienum hereditarium, vel si res sint tempore periturae. Brunn. ad l. 5. ff. de petit. hered. Singulare itaque privilegium est petitionis hereditatis, ex his appareat, ut ad impiendiendum distractionem rerum hereditiarum, non sit necessaria litis contestatio, quæ in cæteris judiciis, sive universalibus, ut familiae herciscundæ, sive singularibus, ut communi dividendo, necessaria est, sed sufficiat motam esse controversiam l. 2. C. de petit. hered. quia nimirum istorum judiciorum, quæ de hereditatis petitione sunt, ea est auctoritas, ut nihil in præjudicium ejus petitionis fieri oporteat. l. 5. §. 2. ff. de petit. hered. Jus hereditarium, quoque si non constet de morte ejus, cuius quis vult esse heres dormit. Struv. Syntag. jur. civ. Exerc. 5. th. 66, ubi quoque de mortis probatione plura sunt tradita.


## THE S. XXVI.

Hactenus de jure in re, quod sequitur jus ad rem, sive obligatio, quod Vultejus ad tit. Inst. de obligat n. 5. male ad jus personarum refert, quod persona obligetur, non res, l. 3. pr. ff. de Obl. & act. l. 101. ff. de verbor. oblig. junct. pr. Inst. de act. non enim ipsam personam, tanquam ejus objectum afficit, sed astringit personam ad dandum vel faciendum, unde actiones personales nascuntur §. 1. Inst. de act. cum personarum jus præjudiciales producat actiones, a personalibus diversas. §. 13. Inst. de act. Obligationem vero

vero non minus, quam cætera jura, de quibus hactenus actum dormire, patet ex l. 9. §. 3. ff. de pignorat. act. ubi omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio. Idcirco ante solutam pecuniam, ut actio denegatur, ita & obligatio istius actionis, ut mater quiescit, & nullas edit operationes, licet rite existat, ejus enim causa est contractus pignoris, quo existente, etiam statim effectum ponit oportuit. Actio itaque hæc pignoratitia, ut & obligatio, ex soluta pecunia demum nascitur, efficacia & vi inspecta utut extiterit, cum ipsis contractu. Hoc vero iure civili Romano introductum, sed aliter lege civili Ebræorum statutum videtur in ueste, aut utensilibus pignori suppositis, quibus debitor diu carere non poterat. Si enim vestimentum esset usui diurno, creditor id singulis diebus oriente sole, debitori reddere compellebatur, sin usui nocturno, vesperi sole occidente. Exod. 22. v. 26. & 27. Verum etiam si eadem lege, ad talēm restitutionem jus agendi habuerit debitor, illam tamen diversi generis fuisse, neque factam solvendi pignoris causa, sed ut magis pignoris flexu necessitate debitoris subveniretur, qui crebriori illa repetitione admonitus, ne negligens existeret in debiti solutione ex Rabbi Josepho refert Hahn ad Wresenb. de pignorat. act. n. 5. Plura hac vice ut inmedium proferam & instituti ratione & aliis negotiis imperdior, uberiorem nihilominus hujus materiae tractationem propediem communicaterus. Interim si in juris dormientis expositione dormitaverim, cum & quandoque bonus dormitet Homerus, excusationem & veniam merebor. Generis humani vero Custodi nec dormitanti nec dormienti pro impetrata ab eo gratia sit laus honor & gloria.







1714, 8  
H  
9

**DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
JURE DORMIENTE**  
QVAM  
**DIVINO FAVENTE NUMINE**  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO**  
**SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO**  
**DOMINO**  
**GVILIELMO HENRICO**  
DUCE SAXONIÆ ETC.  
DITIONUM ISENACENSIMUM HEREDE  
*EX DECRETO INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ*  
**IN ALMA SALANA**  
**PRAESIDE**  
**DN. IO. BERNH. Riesen / Jcto,**  
HEREDITARIO in Posen /  
SERENISSIMI DUCIS SAXO - ISENACENSIS CONSILIARIO  
AULICO AC CONSISTORIALI, PROFESSORE PANDECTARUM  
NEC NON CURIAE PROVINCIALIS SCABINATUS ET COL-  
LEGII JURIDICI ADSESSORE  
*PATRONO SUO FILIALI CULTU ÆTATEM DEVENERANDO*  
*PRO GRADU DOCTORALI*  
*ET PRIVILEGIIS RITU MAJORUM CONSEQUENDIS*  
PUBLICE ERUDITORUM DISQVISITIONI  
*IN AUDITORIO JCTORUM*  
d. Febr. 1714.  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS SUBJICET  
**ANTON. MATTHIAS GEORG. FALCKEN,**  
TANGERMUNDA PALÆ MARCH.  
PERILLUSTRIS SUPERIORIS VETERIS MARCHIÆ JUDICII QVOD QUADRIMI-  
STRE VOCATUR ET PRAEFECTURA JERICHOVIENSIS ADVOCATUS

---

JENÆ, STANNO VVERtheriano.